2

SUPPLEX CONVOCATIO

REGII ARCHIATRI

Et Chemicorum Almæ Societatis

IN OFFICINA CHEMICA

CARLUCCIANA

Una ex Octo pro Regia Viſitatione.



NEAPOLI; MDCCLVII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Sodales ſollertiſſimi, quos honoris gratia nomino; qui hoc in anno Inclytum Chemicorum Collegium ex Octo exornarunt, fuerunt.

D. HONUPHRIUS DE DIVITIIS.

D. JANUARIUS AITORO.

D. JOSEPH STINCONE.

D. MICHAEL RUVI.

D. JOHANNES CONTARINI.

D. GERVASIUS MANES.

D. BENEDICTUS VISCIA.

Digitized by Google

CONSUMMATÆ PERITIÆ MEDICO

FAUTORI HONORATISSIMO

Spectabili, Magnifico, atque Perilluſtri Viro

D. FRANCISCO BUONCORE

CAROLI Regis Noſtri Conſiliario, & Medico Primario necnon totius Regni Neapolitani Protomedico.

LUCAS CARLUCCI

S. P. D.

SI humanum genus cæterorum animalium naturæ una ea animi parte antecellit, quam rationis participem ex Divina mente decerptam habet, jure perfecto, qui inter homines rerum præſtant cognitione, hos quoque in humana natura omni ſuperare alios dignitate, honore, ac claritate fatendum eſt. Itaque quum tanta literarum ſit dignitas, ut eos in præcipuam laudem, gloriam, ac nobilitatem ſibi ſapientiſſimæ gentes poſuerunt. Tu primus unusque Vir ſane ſtrenuus, prudentia inſignis FAUTOR EXIMIE, & in primis illa Tua, quam a natura habes, aſſiduoque uſu foves, facilis, ac non moroſa de omnibus bene merendi voluntas. Deinde ſcientia ea ipſa prope Divina ad quam cum, & ſolers ingenium, ac juge ſtudium, exercitationemque contuleris, nihil in ea adeo eſt abditum, atque repoſitum, quod Tu ſumma fide, ac induſtria in publica commoda depromas. Hinc inter cætera, & præcipua majeſtoſæ dignitatis Tuæ ornamenta, animum Tuum tanquam evidentiſſimum quoddam cœleſte jubar ad inſtar Solis clarum renitet, & reſplendet, præſertim quum ad Chemicas noſtras Officinas pro Regia Viſitatione illuminandas accedis. Quis quæſo ex cæteris auſus eſt in

Digitized by Google

ſcientia medica non latinos ſolum; ſed & græcos textus ſubtilius ſcribere, clarius enodare, & utilius proferre? cujus melliflua doctrina veluti liquidiſſimum flumen nitidiſſimarum aquarum irrigavit hanc noſtram Parthenopem, penetravit totum hoc Regnum, alluit cunctas Hiſpanias, implevit totam Italiam, diffluxit denique per univerſum Terrarum Orbem. Etenim nomen Tuum perſpicuum, perilluſtre, atque ſatis clarum eſt, & omnes ob morum ſuavitatem, jucunditatem, & Officioſitatem humanitatis Tuæ amant, & venerantur. Enimvero ſi cuncta Tua in me bene facta proſequi dicendo velim, ante mihi oratio deficiet, quam finem inveniam. Tertium jam excedit luſtrum quum immature occubuit Antonius Patruus meus, Vir de re medica optime meritus,& ſuo excelſæ mentis acumine ad labyrintheos rerum Chemicarum per tot tentamina penetravit receſſus, cui perſpectam dediſti Tuam erga ſe ſingularem benevolentiam. Quo quidem tempore quum eſſem impuber, incidebat inter Chemicos Almi Collegii de me controverſia, utrumnam eſſem in hac dignitate, & occupare poſſem locum, in quo ſedebat prædictus Patruus meus. Et quamquam TU SUMME FAUTOR occurrebas mihi, ex quo præclara affectus Tui in me Teſtimonia perſpexi: ego vero in meorum ſtudiorum anxio animo initia excurrens, ſollicitus de ſolido fundamento medicæ doctrinæ addiſcendo, animum non potuit non percellere, & in trutinandis diſcrepantium ſodalium opinionibus, vigilem, & attentum exigere. Præterea vidi Te conatum meum haud ægre tuliſſe, quum parvum opuſculum meum elapſo anno in defenſione Almi Chemicorum Collegii lucubratum, adverſus conductorem juris prohibendi aquæ ardentis, Perilluſtri nomini Tuo dicaverim. Cum autem jam ab ipſa ineunte ætate Chemicarum rerum doctrinam, tanquam nobilem, & excelſam experimentalis philoſophiæ partem in delicias uſque amavi, quam maxime rerum naturalium abditarum, & in terræ viſceribus retruſarum naturam ſcrutandum utcumque ſecutus fui. Hinc his ſuper rebus meditari cœpi, & ea qua potui geri ſolertia, boni publici cauſa notavi. Hactenus in experimentis Chemicis parandis pro viribus deſudavi, & profecto memorabilia ſunt quædam quæ inveni. Hinc in animo eſt propediem

ex-

Digitized by Google

experimenta quædam circa zymotechniam, ejusque varia ſpecimina, & producta, circa menſtruorum poteſtatem, differentiam, & agendi modum, ac de iis quæ ope chemiæ ex corporum reſolutione proveniunt, adornare, eaque publici juris facere, & Tuis ſub auſpiciis ponere. Ego certe hoc labore ſatis me conſecutum eſſe arbitrabor, ſi ex eo ad plures fructuoſæ, & ſuaviſſimæ veritatis Chemico-phyſicæ guſtus permanarit; quo partim Tirones multa naturæ, & artis opera melius inſpicere diſcant, partim ſollertes Viri magis, magiſque excitentur ad phyſicam, multis adhuc ſpeculationum nebulis obductam, in clara luce, quoad ejus per chemiam fieri poteſt collocandam. Dum hæc excogitabam impeditus fui, quum Tua, & Almi Chemicorum Collegii ſingulari munificentia, & collegarum omnium adapertis ſuffragiis me adoleſcentem adhuc in numerum Chemicorum Inclytæ Societatis ex octo hoc in anno exceperunt, primosque tenuioris ingenii mei fructus late, mirifice, adeo adamarunt, itaut me magnifaciunt, & augent, ac nomen meum peculiari amore, & liberalitate in ore eorum ſemper, atque ſemper volitat. Uſque adhuc quomodo gratias Tibi, & Chemicis omnibus pro tanto accepto munere agere, deberemque, vellem, & referre poſſem ex animo excogitare non potui. Laborum enim copia, qua hactenus in examinandis Tironibus, qui chemico privilegio ornari deſiderabant, in perficiendis medicaminum taxationibus, quæ ad Forum pertinent, & pro Regia Officinarum Viſitatione hujus Urbis, & Pagorum agri Neapolitani, preſſus fui, quibus acceſſerunt operationes practicæ Pharmacopolii mei, exercitationes academicæ Theoriæ, & praxeos medicæ, & aliæ multæ elaborationes, quæ vix me reſpirare paſſæ ſunt. Jam autem opere hoc exolutus, nihil mihi clarius priusque fuit, quam ut TIBI SUMME FAUTOR perſolverem decentiſſimas gratias, quod me tam eximio amore, & propenſo animo inter ſollertiſſimos Regiæ Societatis Chemicos ad culmen attolliſti. Nunc Te obſecro, obteſtorque VIR SPECTATISSIME, ut in Regia Officinæ meæ Viſitatione, quæ propediem patebit, libenti animo, & tanquam fulgentiſſimum ſidus ad eam perluminandam accedas: idque mihi pergratum, perque jucundum erit, ſi pro ſingulari Tua qua polles humanitate, quic-

quid

Digitized by Google

quid in medio ponam, benigno oculo mirari digneris. Non invenies profecto in Pharmacopolio meo flumen medicaminum maximi momenti, aut rerum Chemicarum perquam difficilium copiam, præcipue ea quæ longo uſu, & experientia, attenta etiam obſervatione, & aſſiduo labore ad rem Chemicam illuſtrandam conſequuntur; ſed tantum quæ properanter cogitare, & concinnare potui ſub ætatis meæ adoleſcentia, tanquam ingenioli mei fœtus, atque induſtriæ meæ primitias. Sodales mei equidem ſollertiſſimi tanquam graviſſimi Chemiæ Profeſſores multoties periculum fecerunt, novamque, & compendioſam methodum in Regiis eorum Viſitationibus commonſtrarunt; quorum auctoritas, ſapientia, atque rerum geſtarum gloria ſupra modum ad præcelſum honoris faſtigium provecta eſt. Cum igitur multa divinitus a ſodalibus meis antehac non tam ad eorum gloriam, quam ad publicum maxime bonum, inventa, atque inſtituta ſint, præſertim per accuratas obſervationes circa omnium Regnorum corpora, ad Sacra tandem acceſſerunt experimenta, & omnia in aprico poſuerunt. Ecquis quæſo ex hiſce non intelligit, ARCHIATER AMPLISSIME, quam late pateat apud eos Chemiæ uſus, & quam larga inventorum affluentia Chemicam noſtram uberrime exornarunt, unde non mirum eſt ſi eorum impræſentiarum Regiæ Viſitationes erunt quidem dignæ, & incomparabiles, atque tam perjucundæ, quæ invidiam fere parturient ad ipſum Apollinem. Interim ſummam Tuam erga me benevolentiam, atque intimum, & perennem affectum, quo de me meiſque viribus bene ſentis firmo animo, & mente gratiſſima, veneror, atque ſemper venerabor, quamvis enitendum mihi ſit, ut Tuæ de me opinioni ſatisfaciam. Hinc inſpiciendum Tibi offero hoc qualecunque ſit obſequentis animi mei ſpecimen, quod non erubui PERILLUSTRI NOMINI TUO nuncupare, rogoque ut in ſignum venerationis Tuæ, ac grati animi pro ſingulari benevolentia accipias. Vale ARCHIATRORUM PRINCEPS. Vale præſidium, & dulce decus meum, diuque publico bono vale.

Dabam Neapoli ex Officina mea Carlucciana

Calendis Octobris MDCCLVII.

Digitized by Google

PERILLUSTRIBUS DOCTISSIMISQUE

CHEMICIS OMNIBUS

ALMI NEAPOLITANI COLLEGII.

LUCAS CARLUCCI

Ejusdem Collegii Socius
Felicitatem.

MAgna ſunt elogia, ſplendidique tituli, ac dignitatis nomina, quibus ſcientiam Chemicam a multis vetuſtis, ſubinde etiam, & ævi noſtri magnis Viris, ornatam, & condecoratam videmus, amplamque ſatis, & laboratam habemus, atque in univerſo diſciplinarum ambitu proculdubio tradit firma, & inconcuſſa dogmata, quæ liquido docent vera, & ſolida artificia per quæ mutantur corpora, & omnia efficiuntur opera. Huic ſcientiæ nemo plus lucis attulit, quam veſtræ ſedulæ obſervationes, & aſſidua tentamina circa res omnes Phyſico-Chemicas ex triplici naturæ Regno petitas, ut melioribus Patrum de re Chemica monumentis confidenter æquiparetis. Ecquisnam quæſo unquam tanquam Vos potuit in abditiora, & obſcura rerum Chemicarum myſteria penetrare, penetrata intelligere, intellecta declarare, declarata in omnem terram communicare. Nemo certe utilius, &glorioſius eam promovit, auxit, & confirmavit, quam veſtra in doctrina Chemica aſſidua ſolertia, & ſtrenua diligentia nunquam interituræ memoriæ, quibus præſertim univerſus Chemicorum hujus Regni cœtus ſummopere debet ob illuſtratam, & inſtauratam rem totam Chemico-Pharmaceuticam; cujus rei gratia Chemicorum univerſitas Vos potiſſimum ad debiti honoris faſtigium evexit, atque exaltavit. Et licet ego ad eundem dignitatis gradum labentibus annis adſpirabam,

Digitized by Google

bam, præ oculis tamen ſemper habui non ſolum tenuitatem ingenii mei, & adoleſcentiam, ſed absque meritis nunquam in mentem venit impetrare, ut unus eſſem Chemicorum Almæ Societatis ex octo, unde animo concidebam? quando ex tempore hoc in anno fauſtis, & apertis collegarum omnium votis, & excitato plauſu, nominatus, & provexus fui. Hinc excogitabam quomodo exhibere poteram pro tanto accepto munere veræ obſervantiæ notas, palamque declarare, & publicæ luci committere: Quum ecce menti meæ opportuna, ſatisque congrua obverſata eſt occaſio fundere Regulos metallicos, arteque fuſoria aliquid efficere, & in Regia Pharmacopolii mei Viſitatione publicè exponere. Hæc ſedulo perpendens Regulum Martialem, Jovialem, & Antimonialem ad numismatum formam peculiari artificio conſtruxi, in quibus Trophæa immortalis famæ, & perpetuæ Almi Collegii gloriæ, necnon quædam ornata emblemata pro gratia tanti accepti beneficii, pro publico Veſtri erga me faventis animi teſtimonio, & pro æterna neceſſitudinis memoria exculpere, & typis imprimere feci. Interea illud enixe deprecor a Vobis, ut pro egregia qua polletis humanitate, hoc qualecunque ſit mei obſequentis animi ſpecimen, libenter, & æquo animo excipiatis, veſtraque me in poſterum benevolentia, & liberalitate conſtanter dignare pergatis. Valete.

Dabam Neapoli ex Pharmacopolio meo Carlucciano
Calendis Octobris MDCCLVII.

Digitized by Google

I N

SPECTABILIS INCLYTIQUE

COLLEGII CHEMICI

NEAPOLITANI, LAUDEM,

DESCRIPTIO EXPOSITA

In Officina Chemica Carlucciana in die Regiæ Viſitationis, quum eſſet una ex Octo.

Anno Æræ Chriſti MDCCLVII. Menſe Octobris.



Digitized by Google

Digitized by Google

POSTQUAM

CHEMIÆ CULTORES

ARTEM METAPHORICO SEMPER, ET

HIEROGLYPHICO SERMONE PERTRACTARUNT;

ALMUM COLLEGIUM CHEMICUM

PARTHENOPEIUM

QUÆ LATUERE DIU IN APRICO POSUIT.

NUNC PER URBEM, ET ORBEM SOLERTIAM

ADMIRABILEM QUIS NON MIRATUR!

LÆTABUNDI ESTOTE CIVES

FAUSTASQUE SUPREMO NUMINI

ABSOLVITE PRECES, UT IN ÆTERNUM

PERENNET MAGNUM HOC PATRIÆ

DECUS.

VA11534341

Digitized by Google

Digitized by Google

ARCHETYPUS REGULORUM METALLICORUM AD NUMISMATUM FORMAM ELABORATORUM QUÆ ADSERVANTUR IN OFFICINA CHEMICA CARLUCCIANA



Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google